



~~217~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-59.

SIGNAT. CISICCCXIII.



ri-
m-
u-
ia-
arè
ex
mò
ro-
illo
non
um
ium
ezio
am,
neos
Ob-
eges
rum
la

DISQVISITIO
DE
NATURA UBIETATIS.

19

Quam
PRÆSIDE
VIRO Præclariss.
M. PAULO PLATANI,
defendet

RESPONDENS
THOMAS DENTULINI,
Dritomâ Hungarus,

2872

Anno clò Isc LXXVII. die XXIX. Aug.

IN AUDITORIO MINORI.

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCARDI, Acad. Typ.
Excudebat SIMON LIBERHIRT.

INSTITUTIONE

DE

REPUBLICA

M. PAVLO PAVLANE

RECTORIS

THOMAS DE VITIS

DIACONI HUGONIS

Anno d. b. c. lxxvii. die xxv. Apr.

BY WILHELMUS MAVORI

IN AUSTRIA

AT TIBURIS, JOHANNES H. FORSTNER, A. 1794

THOMAS DE VITIS



I. N. J.

§. I.



Icut utilissimam, ita maximè difficilissimam doctrinam exhibet consideratio *Ubietatis*, partim quia in se altioris indaginis est, quàm ut à quovis penitus cognosci possit, partim quia multitudo dissentientium non tantum numero; sed & ingenio clara se se hic offert. Ad duas generales classes referri possunt, (*Speciales enim dissensus, infra attingendos hic silentio praterimus*) alii enim inter *affectiones unitas* eam referendam volunt, ac ideo in *majori Entis abstractione*, sive in parte generali eam tradunt. Alii inter *determinatas Entis rationes & species* eam collocant, ac ideo in *minori Entis abstractione*, seu ut vocant parte speciali ex professo ejus doctrinam proponunt: Prioris partis qui castra sequuntur, pauci quidem sunt; sed satis solidè pro sua opinione pugnant, ut quidam sunt ex recentioribus *B. Scheiblerus, Ebelius, Calovius, Cl: Rudrauffius, Cl: Versius & alii* qui hos sequuntur. Posterioris verò partis & antiquitatis venerandæ canite clari & numero longè plures, imò nec rationibus minimi ponderis instructi reperiuntur: Ut taceam veteres, ex recentioribus quàm plurimi sunt *Svaretzius, Fonseca, Mendoza Arriaga & alii*. In tanta igitur dissentientium multitudine velut in bivio constitutus animus, cujus partis castra debeat sequi, vix aliquid certi secum constituere potest, nisi velit temeritatis iudicium subire. Nos adhuc pendente lite, donec alterutrius partis evidentior sententiam deprehenderimus, iudicium nostrum suspendemus, ne plus exili nostro ingenio tribuere forte videamur, quàm alii Philosophiæ Doctores apud orbem Literarium meriti sunt. Agemus tantùm de *Ubietatis natura*, cujus doctrinæ utilitas per omnia scientiarum genera latè sese diffundit & quidem in abstracta ratione ejus partim ambiguitatem, partim formalem rationem, partim divisionem examinaturi, iis tamen non omissis, quæ occasionaliter tractanda se se offerent. DEUS qui ubiq; est, & ubiq; cuacta moderatur, largiatur nobis in hoc conatu gratiam, ut, nihil nisi quod ei placet, differamus.

§. II. Ut à Nomine exordiamur nostrum discursum, notandum est, quod *ubietatem* quidam vocent *alicubietatem*, pro æquipollentibus & Synonymis

A 2

Gram.

Grammaticis æstimando, ita ut nihil interesse putent, utrum pro altero ponatur. Quidam primam vocis originem attendentes *alicubietatem* potius *partialem & determinatum* aliquem *adessendi modum*, non verò universalem, prout ille abstrahit ab omni *adessendi modo*, esse statuunt. Hinc etiam *Venerandus noster Catovius in Metaph. Divina de Ubietate*, vocat *alicubietatem*, non *ubietatem* in abstracto, sed tantum determinatam; Verum, uti monent *Philosophi*, sicut alii termini transcendentales iudicantur non juxta primam suam originem; sed potius secundum communem usum, quatenus transumuntur & promiscuè de quovis *adessendi modo* usurpantur. Ac eà, de causa distingvendum esse censet *Rudrauffius in cursu Metaph. disp. 7. c. 3.* inter *alicubietatem strictè sumptam* pro loco determinato, ac particulari & *latè pro omni adessendi modo*; Adeoque censet *B. Ebelius in Aphor. Metaph. disp. 7. c. 3. de alicubietate p. 610.* *alicubietatem* non esse *specialiter & exclusivè accipiendam*, pro esse in aliquo ubi particulari & determinato, vel etiam loco Physico; sed *generaliter* pro omni *adessendi modo* cujuscunqve rei, sive sit *Accidens*, sive *totum*, sive *pars*, sive *Spiritus*, sive *corporeum & materiale*, ut ita ipsi *DEO*, omnibusq; rebus creatis rectè vereq; tribui possit. Et sanè parum interest, cum sit tantum *vocabularis dissensus*, & à *Philosophis* promiscuè usurpantur hi termini, imò vix apud *Philosophos* aliter accipi leges testante ipso *Rudrauffio*, quàm pro omni modo *adessendi*.

§. III. Aliqui etiam pro iisdem habent *ubietatem & presentiam* & pro *ubietate* ipsam *presentiam* pleriq; substituunt, At *absolutè loquendo* citra *determinationem ac limitationem* vix pro æquipollentibus æstimari debent, partim, quia *presentia* supponit *ubietatem*, partim, quia *ubietas* est quid *absolutum*, *presentia* verò quid *respectivum*. Præter *ubietatem* enim infert *relationem* ad id, cui *præsens* aliquid esse dicitur, adeoq; requirit *externum coexistens*, sic v. g. *Petrus* non potest dici *præsens*, nisi habeat aliquem terminum realem, cui coexistat secus res habet cum *ubietate*, quæ citra *respectum termini alicujus realis coexistentis* potest dici. Qui tamen se hoc modo explicant, ac dicunt, non se intelligere *presentiam specialem & pressè*, sed *Generalem ac latè acceptam*; Illi idem quæ rem cum illis sentiunt, qui *absolutè Ubietatem sumptam* *contradistingvunt presentia*, distingvunt etiam inter *Ubietatem radicalem & relativam*; illam esse *internam, absolutam inseparabilem à re Ubicata*, banc verò esse *extrinsecam, respectivam ac separabilem*. Videri potest hac de re *Excell: Rudrauffius*

fius disp. II. p. 201. ubi etiam inter has Phrases, *adesse in ubi*, & *adesse alicui* vel *in aliquo*, apud aliquem magnam dicit esse diversitatem. Et quod maxime est observandum, *disting*: inter hujus termini primam impositionem, quæ in usu oratoribus est, & quæ: hæc vox à prima impositione ex usu deaviavit, & Philosophis est recepta.

§. IV. Tandem sciendum, etsi quidam in parte Generali, ubi de communibus Entis prædicatis tractari solet, de hac doctrina non agent, agnoscunt nihilominus præter ubietatem, quæ ad genus Accidentium refertur, dari quoque aliquam ubietatem eminentem, quæ inter ubietatis determinatæ species non potest referri. Ex quo fundamento necessario distinguendum venit inter ubietatem prædicamentalem & transcendentalem, extrinsecam & intrinsecam, accidentalem & essentialem; Illa ad accidentium genera pertinet, & constituit peculiare prædicamentum, hæc minimè inter accidentia referri potest, nec constituit, sed transcendit omne prædicamentum; Illa salvâ rei essentiâ abesse potest, si non naturaliter, tamen supernaturaliter, cum non sit contradictorium, rem absque ea posse esse: Hæc verò Salvâ rei Essentiâ nullò modò potest ab esse. Argumentamur enim: Quicquid existit: aut est in aliquo ubi, aut nusquam; Si prius, habetur inventum; Si posterius non potest dici existere, & habere esse actuale. Nam posito, quod sit & existat aliquid, sicut necessario dicitur esse in sensu scilicet: composito ac necessitate suppositionis: Ita necessario debet esse in ubi: Quod enim nusquam est, ne est quidem, ut loquuntur autores: Vid: B. Scheiblerus de esse alicubi.

§. V. Inde liquet evidenter, quod ubietas præsupponat existentiam, cujus immediatum Consequens est. Nam quæ tantum in potentia Objectivâ sunt, non possunt dici habere ubietatem, etiam eorum judicio, quæ realitatem Entibus in potentia Objectiva existentibus tribuunt. De quo potest conferri Ebelius l. c. qui Existentiâ, ubietatem & Durationem conjungit. Et sicut Existentiâ omni Enti actuâli competit, quia per hanc extra causas ponitur: Ita omne Ens vindicat sibi ubietatem, quodvis suæ naturæ proportionatam. In fumos ergo abeunt omnes illæ sententiæ, quæ vel nimis ampliant ubietatis conceptum, vel nimis coarctant, rebus scilicet prædicamentalis tantum attribuendo. Olim, inquit Frommius in Synopsi Metaph. Lib: II. c. VII. p. 197. Crescente adhuc Philosophiâ; omnino Ubietas in prædicamento ubi putabatur.

§. VI. Quia verò maxime interest, ut in transcendentalibus conceptibus

ceptibus constituendis probè *distingvamus*, inter *materiale seu Subiectum* ipsum & *Formale seu abstractum*, per quod quivis terminus transcendentia-
lis in esse Formali constituitur, dabimus nos quoque operam ut alios in
hoc duces secuti, genuinam ac propriam ubietatis formalem rationem
eruanus. Procedemus autem in hoc momento partim *remotivè*, alio-
rum sententias rejiciendo easq; refutando, ut ita opposita juxta se posita
magis elucescant, partim *positivè* nostram substituendo & confirmando
sententiam.

§. VII. Et quod attinet *materiale*, illud extra controversiam est,
omne Ens actuale, uti præcedentibus paragraphis diximus; de *Formali* au-
tem magna lis est. De hoc dicimus (1) illud non consistere in *operatione*
transfente, ut putatur sensisse *Capreolus Thomas Cajetanus* & alii, citante
eos *Rudrauffio Dissert: Philosoph: Vol: 2. Diss: 11*. Ubi tamen dicendum
est, sermonem, non esse de ubietate illa *speciali* qualis v. g. est, *DEI presen-*
tia directiva & *gubernativa*, nam hæc indivisa est, cum operatione: Et li-
cet hæc quoque *specialis* cum operatione sit conjunctissima, tamen adhuc
operatio ipsa à formali ubietatis præciudi potest, uti hoc præcisiones ob-
jectivæ, secundum quas rem simplicissimam per inadæquatos conceptus
distingvimus docent. Potest refelli hæc sententia a Quia concipi potest
ubietas rei, etiamsi non concipiatur ejus operatio, quod non posset fieri,
si esset de formali ubietatis, sicut non possum *Hominem* concipere absque
rationalitate. Nam quidvis potius, quam homo *Objectum* tunc intel-
lectionis erit. β. Quia variatâ operatione non variat *Ubietas*. E. Opera-
tio non erit *Formale Ubietatis*, uti habet *Calovius*. γ. Quia posterior est
Ubietate, cum tamen *Formalis ratio* debet à priori constituere, ita ut
absurdum sit esse *Formalem rationem*, & tamen rei tantum à posteriori con-
venire. Plura vide apud *Calovium in Metaph. de Ubietate, Partemate 3.* &
Rudrauffius l. c.

§. VIII. Neque (2) in *sola extrinseca denominatione*: Quomodo v.
g. *Paries* dicitur visus, *mundus amari*, *sonus audiri*, & his similia. Quia
(1) *Ubietas* identificatur *Essentia*, igitur non *extrinsecè*; sed *intrinsecè* rei
convenit. (2) Quia remoto omni *accidentali extrinseco*, omni rei con-
venit ubietas. Modò non confundas ipsam *actualem adessentiam* cum *po-*
tentiali. Consulatur *D. Calovius l. c.* & *Rudrauff. l. c.* Ex quibus ita argu-
mentamur: Quod identificatur cum *Essentia*, illud *Essentiæ intrinsecè*
convenit, & omni etiam *extrinseco remoto*, dicitur habere *adessentiam*,
illius

illius Formale non consistit in extrinseca denominatione: Atque verum est de Ubietate. *E. Major* non opus habet probatione: *Minor*, quia DEUS ante hunc mundum conditum ubique adessentiam habuit, nec tamen aliquod extrinsecum erat, à quo denominaretur, aliàs ante creationem fuisset aliquid creatum. Imò si DEUS hoc universum annihilaret & collocaret aliquam creaturam in hac vacuitate, utique nullo extrinseco circumscriberetur, ac ab eo denominationem reciperet, nihilominus tamen adessentia ipsi denegari non posset, quàm verè enim actualiter existeret, tam verè haberet adessentiam seu Ubietatem.

§. IX. Nec consistit in ipso *spatio*, quatenus illud præscindit ab ipso reali & imaginario, quia, ut diximus, *Ubietas* est prædicatum aliquod reale rei cuique, ut existentia, conveniens, igitur non potest pro Formali recipi. Nam absurdum est, id, quod indifferenter se habet ad reale & rationis posse ingredi constitutionem alicujus prædicati realis. *Jam sic argumentamur*: Quicquid indifferens est ad reale & rationis, illud non potest alicujus realitatis esse Formalis ratio: Atque spatium est tale, *E.* Si fortè dicas, posse esse Formale, ut contrahitur ad spatium reale. *Resp.* Ne hoc modò quidem pertinet ad formale, partim, quia etiam in hac determinatione est Enti extrinsecum, partim, quia non exhaurit omnem Ubietatem; potest enim Ens habere Ubietatem, licet non sit in spatio tam determinatè reali. Deinde multùm hæc duo disting: *uti monet D. Calovius, adesse in spatio*, quod importat realitatem Enti citra intellectus operationem convenientem; & aliud esse *spatium*, quod potest esse imaginarium & tantùm ab intellectu conceptibile, citra inclusionem ullius realitatis.

§. X. Remotis igitur aliorum sententiis *positive* procedemus & dicemus, *quanam genuna & vera Formalis ratio Ubietatis sit*, aliorumq; quæ circa hanc expedienda sunt, examen instituemus. *Formalis ratio* nobis est, *adessentia in spatio*. Unde etiam *acutissimus Ebelius* describit Ubietatem, (velut ille loquitur alicubietatem) *quòd sit modus, secundum quem res dicitur alicubi præsens*, uti singula verba hujus descriptionis explicat *l. c. n. 27. p. 107. & Rudrauffius l. c.* Jam sic *ex natura Formalis rationis* pro nostra sententia *argumentamur cum Ebelio l. c. & Rudrauffio*: Quò positò, si reliqua omnia negentur & negatò, & si omnia ponantur, ponitur formaliter, & negatur Ubietas, id ipsum est ejus Formale; sed posità adessentiã in spatio, si reliqua omnia fuerint negata, ponitur, & eadem negatà, si reliqua omnia fuerint posita, negatur Ubietas. *Major* petita est ex communi formalis rationis descriptione: *Minor* in natura est fundata.

§. XI. Quid tamēn per *spatium* intelligi debeat, cujus in Formali ratione Ubietatis fit mentio, vix ulla celebrior est difficultas, & jam pridem à summis ingeniis in dubium vocata. Communiter *spatium* ab Auctoribus probatoribus dicitur esse illa *vacuitas*, *capacitas*, *intervallum absolute sumptum*, (nam, ut monet *Rudrauffius*, hic terminus dicit relationem ad extrema distantia, quod Formali spatii repugnat) in quod, quasi recipitur, & quod occupat ipsum Ens. Dico *vacuitatem*, non quidem ratione *Existentiæ*, (præsertim si loquamur de spatio determinatè reali,) nunquam enim spatium existit sine Ente, sic v. g. illud spatium, quod ego nunc meo motu corporis acqviro, non erat antea vacuum, sed repletum aère, me tamen superveniente ille aer cedit, & mihi spatium & vacuitatem relinquvit; sed ratione essentiæ, quatenus spatium illud in se & suâ naturâ spectatur, abstrahendo omne illud, quod in spatio est, vel esse potest. Illustratur id hoc modo, si ex vase aqua effundatur & concipiatur illud spatium, quod est intra latera vasis & orificium ejus, sine ullo corpore, ita concipiens vas, spatium nostrum concipiat, licet nec in hoc statu vas constitutum sit sine corpore, cum ad minimum in eo hæreat aer. Quem modum loquendi tenere *Svarezzium*, *Nicolai*, observat *Rudrauffius*, qui illud intervallum, quod esset inter cælum & terram, omnibus intermediis annihilatis, vocant *vacuitatem*. At, si porrò quis quærat curiosiùs, quænam quidditas spatii sit præsertim ipsius realis, nam imaginarium nullam realitatem habere omnes saniores concedunt, & an sit substantia, an accidens, ipse uti *Theologus*, ita *Philosophus* acutissimus *B. Meisnerus*, quid tenere debeat, hæcere videtur, in *sobria Philosophia part. 2. sect. 3. in Quest. Phys.* Assumamus aliquod spatium determinatum v. g. *Physicum*, ut ex hoc tanquam minus abstracto faciliùs de cæteris judicare possimus. Ab hoc removeatur omne corpus, si non *realiter*, hoc enim *naturaliter* fieri non potest, saltem tamen *conceptibiliter*, quænam, rogo, manebit realis quidditas, ego sanè non percipio? Quâ difficultate pressus *Vir* quidam *Clarissimus*, quondam Præceptor meus æternùm colendus, in eam devenit sententiam, ut *spatium* ita ab omni corpore abstractum non nisi *intentionale*, & ejus quoque dimensiones tres intentionales esse statuerit, ut *B. Meisnerus l.c.* dicit: Licet illud quid sit ignoremus, tamen propterea non est negandum propter multa absurda ex sententia negativa promanantia. Quid docili ingenio aliud hîc faciendum magis sit, quàm oprandum, ut aliquis *Lampadophorus* lucem præferat, ut possit exclamare *εὐγεννα!*

§. XII. Nec de *spatiis imaginariis* minor est difficultas, quorum & existentia & natura in dubium à plerisque vocatur. Concedunt quidem omnes Orthodoxi, (nam de Heterodoxis, utpote *Calvinianis*, *Socinianis*, aliter judicandum est) DEI immensitatem non terminari hujus mundi spatiis, sed extra mundum sese porrigere, attamen non omnes concedunt, DEUM esse in spatiis imaginariis, & videatur utrique quoad rem convenire, & tantum quoad modum loquendi dissentire. Patroni spatiorum extramundanorum per *spatia imaginaria* nihil aliud intelligunt, quam illud ipsum *ubi*, in quo DEUS extra hunc mundum esse concipitur & operari potest, si veller, non secus ac in spatiis imaginariis hoc universum primum fuit conditum. Si excipiant: DEUM esse in seipso, & per consequens non opus esse talibus spatiis imaginariis, tunc eò ipsò non videntur ipsis contradicere, præsertim si intelligatur *ubi* esse in seipso, eo sensu, quòd scilicet DEUS non sit in aliquo reali, id quod nec Patroni spatiorum imaginario- rum concedunt. Deinde non quæritur, quomodo DEUS absolute consideratus dicitur extra hunc mundum esse, sed quomodo à nobis DEI ad- sentia extra mundum concipiatur. Nam etiam alia attributa cum DEI Essentia identificantur, & sunt ipse DEUS, ergone ideò non distinguuntur à DEI essentia, vel falsò distinguuntur per nostrum modum concipiendi? Id si statuatur, erit contra omnem sanio- rem Philosophandi rationem.

§. XIII. Quando dicitur *imaginarium spatium*, non id intelligendum est h. s. quasi à parte sui nihil aliud sit, quam purum figmentum & imaginatio nostri intellectus, nec ullum habeat fundamentum ante operam mentis, nisi *objective*, non secus ac alia *Entia Chymica*: sed *imaginarium* dicitur respectu modi nostri concipiendi, quia à nobis plerumque per modum spatii positivi, h. e. ut extrinsecum, secundum dimensiones vastas, non secus ut Ens quoddam positivum materiale concipitur. Sicut v. g. dum *negationes*, *privationes* concipiuntur ad similitudinem *Entium positivorum*, & eo pacto si concipiantur & intellectui represententur per *speciem* aliquam *alienam*, evadunt *Entia imaginaria*: Ita res habet cum *spatio imaginario*, si consideretur quòd nostrum concipiendi modum, si tamen spectetur in se, haud commodè potest dici Ens rationis, cum ita reverà detur, tanquam non repugnantia capacitatis, ad corpora recipienda, uti B. Eberlius & Rudraufius ll. cc. loquuntur.

§. XIV. Sed jam ad tertium membrum tractationis veniendum est, nempe ad *Divisionem*, quæ communiter per *Dichotomiam* instituitur, om-
nem

inmem Ubietatem dividendo in *increatam & creatam*, in *indefinitam & definitam*. Illa est simpliciter *interminabilis*, hæc *determinabilis*. Quæ divisio non est *equivoca*, quasi de Ubietatis natura nomen tantum membra divisionis participarent, neque *univoca*, quæ est inter species ejusdem generis; sed est *analogica*, ita ut Ubietatis natura & definitio alteri per prius, alteri per posterius conveniat, uti ex terminis ipsis cuique liquet. Est quoque hæc *divisio adæquata*, nullus enim modus adessendi dari potest, qui vel ad *increatam*, vel *creatam* referri nequeat, utpote ad membra sibi invicem immediatè opposita in tota latitudine Entis. Etsi quidam aliquos modos Ubietatis dari putent, qui huc referri nequeant. Ita ex. gr. movent dubium de *adessentia Angeli*, si illa contrahatur ad unum punctum indivisibile, in hoc enim casu putant, neque ad *indefinitam*, neque *definitam Ubietatem* referri posse. Sed ab aliquibus tale factum Angeli in dubium vocatur, nec ab eo id præstari posse conceditur. Nos illam *adessentiam* non putamus *diversam* esse à *definita*, nec opus est, ut ob hoc vel simile huic exemplum tertius modus his *contradistinctus Ubietatis* statuatur. Quæ tamen otiosæ speculationes parùm ad rem videntur facere, indulgeant eis illi, qui plus otii habent & delectantur talibus. Cùm quidam *Trichotomiam* observant, ut *Ebelius & alii*, illi nobis non contradicunt, cùm & nos tertiam speciem libenter admittimus; sed in genere rectius Ubietas à nobis dividitur per *dichotomiam*. Hinc *Dist*: esse puto, tater *divisionem ipsam & subdivisionem*. *Creata* enim iterum subdividitur in *definitivam & Circumscriptivam*, de quibus postea.

§. XV. *Increata Ubietas* aliter vocatur *Ubiquitas*: Estq; simplex ad *essendi interminabilitas*, ut eam describit *D. Calovius*. Vel ut *Ebelius*: Est *modus repletivus, secundum quem, ita quid presens est omnibus spatiis, ut ea repleat immutabiliter, nec possit non esse in illis*. Ubi tò *repletivè* monet, non esse accipiendum *Physicè & materialiter*, quomodo vas repletur liquore; sed *improprie & metaphoricè*, propter aliquam similitudinem illorum, quæ materialiter repleti dicuntur, quia *DEUS*, cui hic adessendi modus unicè convenit, ita adest omnibus spatiis, ut nullum dari possit, cui ille non adsit, & quod non quasi suâ ad essentiâ impleat. Vocatur etiam *immensitas* per quam nullò spatio *DEUS* mensurari potest. *Dist*: autem hic probè, inter id, quod est *ubiq; per naturam*, ita ut non possit non esse *ubiq;*, & quod est *ubiq; per virtutem agentis infiniti*. Illud etiam *immensitas* dici potest & *Soli DEO* tribuitur, hoc minime, & etiam creaturis per *Divinam*

Divinam virtutem contingere potest. Ex qua distinctione quid ad illud postulatum respondendum sit, quando quarunt Philosophi: *An aliqua creatura possit esse ubiq?* facile liquet. De qua quaest, videri potest Jacobus Martini Lib. 2. sect. 14. quaest. 8. Ebelius in Aphor. p. 107. & nos infra dum in specie de circumscriptiva Ubietate egerimus, eam difficultatem attingemus.

§. XVI. Non igitur benè explicant *Ubietatem repletivam* per *expansionem, inclusionem, commixtionem* & alios modos Enti infinito planè inconvenientes & absurdos. Et si enim rem sciamus, tamen modus hujus adessentiae adaequatè à nobis percipi vel explicari in hac mortalitate nequit. Cùmq; DEUS exers sit corporeae molis, ejus adessentia per expansionem sine absurditate non potest explicari, licet nonnunquam propter infirmitatem intellectus nostri ita fortè concipiatur. Nec etiam commodè explicant per *Omnipraesentiam*, quia, uti initio monitum est de Ubietate & praesentia, haec non adeò sunt aequipollentia, sed maximè differunt. Nam (1) *Ubiquitas* est radix & fundamentum *Omnipraesentiae*, ex qua fluit & in qua fundatur *Omnipraesentia*. (2) *Ubiquitas* est attributum DEI absolutum ac aeternum, *Omnipraesentia* verò respectivum ac temporarium. (3) *Ulla* est illimitata, *haec* limitata semper terminum realem respiciens. (4) *Ulla* dicitur attributum *ἀνερέγηντον*, quat. scil. formaliter & praecisivè sumitur: *Hec* verò est *ἐνέρεγηντην*. Multò minùs benè explicant, qui eam restringunt ad terminos hujus mundi, ita enim ex infinito finitum faciunt, ex illimitato limitatum. Contra quos sic argumentamur: Quicquid est interminabile, illud non potest habere adessentiae terminos. Atqui *Ubiquitas* &c. E. Major, quia interminabile non tantùm negat adessentiae terminum actualem, sed & possibilem, ita ut quod ubique est, per naturam & essentiam non possit non esse in spatiis extramundanis. Quod sic iterum demonstramus: Ubi DEUS potest operari, ibi etiam adesse debet. Atqui extramundum DEUS potest operari, E. Majorem sic confirmat Ebelius in Aphor. p. 108. Aut Deus, quando hoc universum produxit, ante ipsam productionem in iisdem verè fuit, aut non, tertium siquidem nullum datur: si fuit, habemus quod volumus, si non, ergò tùm demum, cùm operari ibi incipit, eò movebatur, & sic non erit immutabilis, nec etiam immensus, quia non in omni Ubi per hanc hypothesein esset.

§. XVII. Hæc de *Ubietate increata*, restat ut paucis de *creata* dicamus, *Causam & rationem, cur hæc quoque contracta Ubietas h. l. tractetur,*

B E

tur,



tar, reddit *B. Scheiblerus*, scilicet: quia ubi agitur de toto, ibi quoque agi debet de partibus, licet aliàs vel ad aliam disciplinam, vel ad aliam ejus disciplinae partem remittantur. Applicat hoc ad Ubieratem contractam, dicens, modos speciales adessendi *definitivè & circumscriptivè* non incommodè remitti ad prædicamenta Ubi. Verùm supponendo modos singulos adessendi intrinsecos & essentialia, quò actum primum, ut noster *Magnus Calovius* l. c. p. m. 38. dicit, non videtur sub hac consideratione referri posse ad Ubi prædicamentale, quia h. m. adessentia est accidens peculiare à re ubicata realiter distincta, compositionem in re inferens realem. At de modis Ubieratis, ut transcendentia considerantur, (*ut verbis Calovii utar*) haud videtur statui debere, quum ubieras non differat realiter, sed tantùm formaliter ab Ente. Dividitur autem hæc creata Ubieras in *definitivam*, quæ juxta *B. Ebelium* est, *secundum quam aliquid essentia ratione est totum in toto spatio & totum in qualibet spatii parte*: ita v. g. Angelus totus est in aliquo toto auditorio & in qualibet spatii ejus parte. *Definitivè* dicitur juxta communem sententiam, non *passivè*, quasi Angelica adessentia definiretur & circumscriberetur, sed *activè* eo sensu, quod sibi ipse definiat spatium pro libertate quantum velit. Imò etiam in unum punctum contrahere potest suam adessentiam citra imperfectionem suæ naturæ, qui modus adessendi etsi non conveniat rei *divisibili*, potest tamen convenire rei *indivisibili*, qualis est *Angelus*, qui non est *partibilis*, ut corpus, sed *impartibilis*. Posse etiam in uno spatio plures Angelos esse, id testimonio infallibili *Evangelistæ Marci* c. 5. 9. verum est. Falsa igitur est opinio eorum, qui statuunt, substantiam incorpoream ex necessitate semper habere adæquatum Ubi, de quo prolixius disputat *Svaretzius* l. c. n. 37. qui concedit, *Angelum* juxta dignitatem & perfectionem suæ naturæ determinare sibi certam sphaeram, cui exhibere potest suam præsentiam substantialem, non tamen toti illi semper adesse ex necessitate naturali; sed posse esse in minori atque etiam in puncto. Cave etiam putes Angelum ita ampliare posse spatium, ut illud in infinitum sese extendat, nam licet amplissimum possit sibi definire spatium, nihilominus manet determinatum & finitum. Ac propterea notanter dicitur in descriptione, quod *ratione sua Essentia* Ubieratem definitivam obtineat, per Omnipotentiam enim Dei posset fieri, ut non sit in determinato aliquo spatio, nec tamen adhuc esset *presens repletivè*, quia hic præsentia modus non debetur ejusdem Essentia, ut loquitur *Ebelius* in Aphor. l. c. Dicitur quoque *in spatio*, ut per hoc adhuc discrimen inua-

etur inter *Ubietatem definitivam & repletivam*, quæ spatio non terminatur, sed in infinitis spatii necessariò est. Ratio in promptu est, quia essentia finita ex natura sua postulat determinatum spatium. Quando dicitur, quod sit *totum in toto*, per hoc convenit cum Ubietate circumscriptiva, nam etiam corpus totum est in toto spatio. Quando autem dicitur, *totum in qualibet parte spatii*, per hoc ad essentia definitiva differt à circumscriptiva, quia per circumscriptivum adessendi modum res ita spatium occupat, ut in qua parte spatii una pars est, in illa nequeat esse altera, nec juxta seipsam rem ejus generis ferre possit, sic v. g. Meum corpus ita occupat suum locum, ut in eodem spatio nequeat aliud corpus etiam subtilissimum, simul & eodem momento temporis, quo corpus meum illud complet, esse, aliàs concedi deberet *penetratio dimensionum*, quæ à Physicis sanioribus jam pridem est explosa, nec ullibi in natura fundatur. At verò secus res habet cum *adessentia definitiva*, per quam ita in determinato spatio res spiritualis & immaterialis est, ut ea etiam in minimo spatio terminata, non excludat, vel alias plures res spirituales & immateriales, vel etiam materiales, citra penetrationem dimensionum, sic v. g. Angelus non excludit, ex eodem numero spatio, quod ille sibi definit, sive alios Angelos, sive alia corpora, cum ejus presentia non inferat dimensionum *περιχώρησιν* & permeationem, ob immaterialitatem Essentiæ suæ Angelicæ.

§. XIIII. Ad hunc quoque adessendi modum pertinet Animæ rationalis Ubietas, quia ibidem tota est in corpore organico, & tota in qualibet parte etiam minima, uti hoc communiter docent *Physici*: Vid. *B. Meinerus in sobria Philos.* part. 1. sect. 3. quæst. 7. *B. Danbæuerus in Colleg. Psycholog. Disp.* 1. controv. 4. ubi quæstionem instituit; *An anima sit υέ-ριστόν η̄ quid divisibile?* Quas aliàs argutias solent necesse, eas prætermittimus. Id tantùm h. l. tenendum, quod quando vel Anima, vel Angelus dicuntur totus in qualibet parte spatii, sit intelligendum sine expansione, extensione, diffusione, inclusione aut coarctatione, quod autem ita adest, ubicunque est, id semper totum suum esse ponit, in quocunque dicitur esse spatio, s. totali, s. partiali, s. adæquato, s. inadæquato. Quo observato in fumos abeunt omnes difficultates, quas objiciunt de Anima rationali, quæ tota in corpore toto & in omniibus ejus partibus esse statuitur, quia potissimum sunt petitiæ ex tali expansiva & extensiva adessendi ratione, quæ substantiæ immateriali, omni mole quantitativâ carenti, utpote causâ adæquatâ extensionis & expansionis non potest tribui. Neque etiam totalitas illa intelligenda est, secundum quantitatem, sed secundum substantiam, &

secundum substantiales perfectiones, ut docent: B. Scheiblerus de esse alicubi, n. 40. & D. Calovius l. c. p. 384. Ita enim Scheiblerus: *anima, inquit, quæ sic est alicubi, & est tota in qualibet parte, non sic id habet, quasi pars animæ per commensurationem ad corpus est extensa ad totum, adeoq; ad caput, fit etiam extensa ad pedem, sed hoc dicitur, quod tota anima sit, in toto hoc spatio humani corporis, & tota etiam Essentia anima sit in qualibet parte illius spatii humani.* Non enim in minima parte pedis quicquam deest anime, quod ad illius essentiam pertineat, & sit alibi positum. Idem quoque ibidem de Angelo, cum sibi definit spatium, iudicat. Deinde etiam distinguit inter totum in toto, & totum in qualibet parte sumptum negativè, & sumptum positivè, & priori modo esse Angelum & Animam totam in toto & totum in qualibet parte. Quanquam nosse Calovius moneat, *quantitatis & partis quantitative nomen incongruè applicari rebus spiritualibus, & vult loci totalitatis quantitative seu imaginariæ extensionis, surrogari localitatem præsentis.* De quo vid: potest l. c. Quod attinet ad *Formas materiales*, quales sunt brutorum, an ad Ubietatem definitivam pertineant, adhuc dubium est. Quam difficultatem attingit D. Calovius l. c. sed eam non decidit, videri sibi ad definitam non alia quàm ea, quæ sunt immaterialia & quantitatis expertia, pertinere.

§. XIX. Hactenus de prima specie Ubietatis creatæ dictum est, jam de altera restat ut dicamus, quæ communiter vocatur Ubietas vel alicubietas descriptiva. Sumitur hæc itidem uti ubietas definitiva vel generaliter pro omni adessendi modo determinato, prout indifferenter se habet ad res materiales vel immateriales, juxta quam acceptionem adæquatè opponitur ubietati repletivæ, & etiam Angelis competit, uti id jam olim Damascenus lib. 2. de *Orthodoxa Fide* c. 3. agnovit, Angelos dicens esse alicubi circumscriptivè: vel specialiter, prout talem modum adessendi notat, qui opponitur non tantùm repletivo, sed etiam definitivo, & competit solis substantiis materialibus. Describit hanc sæpiùs à nobis cit: *Ebelius, quod sic adessentia rei in spatio ex se & suâ naturâ determinato partibilis.* Dicitur *Circumscriptiva*, quia res in tali ubietate constituta singulis suis partibus commensuratur, singulis spatii partibus ita, ut singulæ rei materialis partes inter se aliquo modo distantes in partialibus ac inadæquatis locis adsint, nec una intimè præsens sit alteri, nec se possint penetrare. *Disting.* tamen inter circumscriptionem internam, quæ consistit in similitudine Essentiæ, ac secundum hanc dicitur omne id circumscriptum esse, quod limites & terminos habet essentiæ, & circumscriptionem externam, quæ res propter
partium

partium extensarum quantitatem spatii dimensionibus terminatur. Quae distinctio coincidit cum illa, qua distinctimus inter *circumscriptum generaliter & specialiter* consideratum. Per hoc, quod dicatur *habere spatium determinatum*, differt ab Ubietate repletiva, & convenit cum Ubietate definitiva, quia utraque spatium determinatum per naturam habere postulant; tamen cum dicitur *partibilis*, per hoc differt ab ipsa definitiva, quippe quae est *impartibilis & indivisibilis*, uti jam dictum est in descriptione Ubietatis definitivae. Notanter quoque dicitur in praesenti descriptione *naturae suae*, quo innuitur haud obscure, fieri posse, ut per potentiam infinitam corpus naturale non tantum simul eodemque tempore in duobus vel pluribus locis esse possit; sed etiam ubique, sic v. g. non implicat contradictionem vel ex parte DEI potentiae, quae eam agendi virtute pollet, ut longè ad obscuriores nobis modos agendi sese extendat, vel ex parte potentiae obedientialis creaturae ad hunc supernaturalem actum recipiendum, ut *Petrus* eodem tempore sit *Roma & Vitteberga* citra actualem commensurationem determinati spatii ejusque partium, quam *Petri* corpus & natura sua habet. Hinc *dist: Philosophia Dd. inter commensurationem & commensurabilitatem*, ac dicunt posterius, h. e. aptitudinem commensurationis & circumscriptiois, nunquam posse à rebus materialibus abesse; sed etiam tum, quando actu in pluribus Ubi res materialis sistitur, eam retinere: Priorem nihilominus actualem scilicet illam commensurationem, cum sit rei materialis tantum extrinseca & ab ea realiter distincta, nihil obstat quominus separari possit & abesse. *B. Scheiblerus dist: inter id, quod circumscriptivè est naturaliter*, & ita corpus in adessentia sua servare dicit omnes actus, quos exigit natura ad talem modum essendi, ut est commensuratio sui ad spatium, atque adeo localem positionem partis extra partem, quo pacto sunt omnia corpora nostra in statu naturali considerata; & *supernaturaliter*, quando res quanta, amittit quidem aliquos actus à natura requisitos ad talem adessentiam per dispositionem primi agentis, tamen servat naturalem potentiam, juxta quam cessante miraculo, possit amissos actus per naturam rei quantae recuperare. Jam sic *argumentamur*: Quicquid non implicat contradictionem, neque ex parte DEI, neque corporis, illud fieri potest; Atqui ut corpus aliquod sit ubique, non implicat: E. Major est certa ex recepta Philosophorum sententia: Minor ex ante dictis patet, quia talis actualis commensuratio potest abesse salvâ rei Essentiâ, si non naturaliter, tamen supernaturaliter. Patet id inde, quia quae realiter distinguuntur, illa ad minimum per absolutam DEI potentiam separari possunt.

possant. Confirmatur exemplo *Corporis Dominici*, quod ubique esse, de
Fide certum est. Quæ opponunt huic sententiæ, inter quos est etiam *Tim-*
plerus, videri possunt apud *Jacobum Martini in Partit. quæst. 8. 9. & 10.*
quos solidè ibi refutat, & ad eorum objectiones responderet.

§. XX. Duo adhuc hic præprimis quæri possent: (1) Quam nempe
proportionem seruent inter se *Ubi Corporis & Spiritus*? (2) An Ubietatem
quoque Accidentia & Formæ materiales habeant, & quænam illa sit?
Et quidem quæ prius de eo & *Svaretzius & Jacobus Martini l. c.* fulsissimè agunt,
ac idèd ne deficiat nos pagina, eò B. L. remittimus. De posteriori
autem longè res intricatior est, nec satis liquidò ab Autoribus proponitur.
Quæ *intrinsecum Ubi* dubium vix esse potest, nec formis materialibus aut
accidentalibus denegari potest, quicquid enim habet existentiam, illud etiam
habet Ubietatem, cum tam latè pateat Ubietas, quàm latè patet existenti-
a, uti superius monuimus ex *Ebelio & aliis*. Si quis dicat: Si omne
Accidens habet suum Ubi, sequitur etiam Ubi suum habere Ubi, & sic da-
bitur progressus in infinitum, tunc resp. Neg. Conseqv: nam ut vulgò dicitur
de Forma, quicquid est, per suam Formam est, E. & Forma est per Formam;
potest enim Ubi seipso præsens esse, alia verò accidentia per Ubi,
sicut Forma seipsa est & dat esse compositum. De *extrinseca* tamen merito
dubitari potest, an illam habeant, & quænam illa sit, an definitiva, an
verò circumscriptiva? *B. Scheiblerus dist:* inter alicubi *circumscriptivè per se & per accidens*.
Illam dicit quantum esse, quæ per se materiata sunt; *Hoc* verò, quæ materiata sunt,
per Accidens. *Svaretzius* præ cæteris accidentibus quantitati Ubi circumscriptivum
assignat, quia ratio existendi alicubi circumscriptivè provenit à quantitate,
nec partes substantiæ repugnarent inter se, quoad intimam præsentiam,
nisi essent affectæ quantitate, utpote radice & fundamento circumscriptivæ
Ubietatis. Dicimus igitur cum *B. Scheiblero*, illa, quæ sunt per accidens
quanta, ut omnia Accidentia & Formæ rerum materialium præter
quantitatem ipsam, esse in Ubi circumscriptivo; Accidentia verò immaterialia,
uti etiam Formas immateriales esse in Ubi definitivo. His ita de Ubietatis
modis pertractatis, concludo verbis *B. Scheibleri & D. Calovii* dicendo: *Sunt aliqua, in*
quibus mihi ipsi non satisfacio. Interim & pro ea parte cognitionis grates
DEO Trinuno merito decernuntur.



Ung. VI 59

ULB Halle 3
004 186 672




f
56.

VD 17.

Jun. 2000 U.







DISQVISITIO
DE
**NATURA UBIE-
TATIS,**

19


Quam
PRÆSIDE
VIRO Praclariss.
M. PAULO PLATANI,
defendet

RESPONDENS
THOMAS DENTULINI,
Dritomâ Hungarus,

2872

Anno clō lbc LXXVII. die XXIX. Aug.

IN AUDITORIO MINORI.



WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCARDI, Acad. Typ.
Excudebat SIMON LIBERHIRT.

